

¶ Omnes circulos primi Instrumenti cognoscere.

**EXTREMV**S circulus dicitur circulus arcuum pro chordis, duplici numero inscriptus usq; ad 90. Diameter uero eius *AC* dicitur linea chordarum rectæ & uersæ, similiter dupliciter intitulatus usq; ad 60. Secundus circulus dicitur argumentum Solis & Lunę duplici numero inscriptus, habens duo spacia & marginem inter medium. Tertius est circulus Genzahar uel latitudo Lunę usq; ad 5 gradus in una quarta extensus. Quartus cū duobus spacijs & margine intercepto, dicitur argumētum latitudinis Lunę. Quintus circulus habens tantū unum spaciū, dicitur spaciū punctorum ecclipsis Solis cum numeris suis. Sextus uero circulus in spacio prædicto inæqualiter contentus dicitur æquator punctorum ecclipsis Solis. Septimus circulus continet numerum minorum tropici Lunę in figura ecclipsis Solis. Deinde sequitur octauus circulus, cuius spaciū inter prædictum & octauum dicitur tropicus Lunę. Nonus circulus in tropico inæqualiter & eccentriciter gyratus dicitur æquator ecclipsis Solis tangens octauum apud *A*, & intimam circumferentiam septimi circuli apud *C*. Decimus & intimus dicitur æquator corporis Solis. Semidiameter uero *GA* & *GC*, dicitur linea minorum casus & moræ diuisa in 34 partes æquales, usq; ad extremum circulum tropici Lunę. Lineæ uero orthogonaliter lineam minorum secantes ductę, ac prædictum extremū circulū per totum spaciū sunt minuta casus. Sed lineæ transuersales in tropico Lunę æquidistantes lineæ minorum dicuntur minuta latitudinis Lunę. Filum in puncto *C* affixum dicitur filum limbi, Aliud in *G* affixum dicitur filum centri &c.

THEORICA ECCLIPSIS LVNÆ.

COMPOSITIO ÆQVATORII

Ecclipsis Lunæ.

**PRODVC** lineam rectā, & facto centro in medio pone signū *G*. Et secundū quantitātē lineæ iam productæ super *G*, fac semicirculū *ABC* omnino sicut supra in Sole. Deinde post illū circulū fac duo spacia super *G* cū margine intercepto, & est primus circulus, quem diuide omnino sicut dictū est de secundo circulo primi instrumenti. Deinde iterū fac semicirculū habentē spaciū & marginem eius uersus centrū, & est secundus circulus. Iterū describe unum circulū habentem spaciū & marginem ab intra sicut in præscripto, & est tertius circulus. Deinde reliquam partē lineæ *GC* uel *GA*, diuide in 64 partes, quæ sunt minuta, casus & moræ, hæc autē linea dicitur linea minorum, casus & moræ. Et huic lineæ extra semicirculū fac marginem & spaciū pro minutis & literis numerorum, & intitulabis spaciū *AG*, uersus

f ij utramq;